

jungit eadem Glossa) talis ante litem contestatam destituerit, non privabitur utroque: sicut et in aliis statutis, sub pœna, l. *Amplius*. ff. *Rem ratam haberi*. » Verum Innocentius cit. c. *De multa*. n. 2. §. *vel dic*. et nonnulli alii, quos refert Fagnanus ibid. n. 6. h. t. oppositum tenuerunt, dicentes, quod ex sola retentione primi beneficii cum secundo incompatibili beneficiarius potuerit privari utroque, etiamsi, quando incœpit conveniri, voluisset dimittere prius, utpote ipso jure vacans. Quia (aiunt) satis manifesta causa privandi aderat, ex quo quis non obtemperabat canoni sic præcipienti: simulque, qui beneficiarius furtum committebat, percipiendo fructus prioris beneficii, quo privatus erat ipso jure. Hæc tamen difficultas sublata fuit ex post facto, uti notat Abbas in d. c. *De multa*, n. 10. et Fagnanus ibid. n. 7. h. t. allegans alios: unde.

316. *De facto plura incompatibilia beneficia contra sacros canones simul retines, ipso jure utrisque privatus existit.* — Resp. II. Si quis de facto plura curata, vel alias incompatibilia beneficia, quocumque modo contra formam sacrorum canonum, recipere, ac simul retinere præsumperit: non solum primo, juxta hactenus dicta, sed etiam secundo, ipso jure privatus existit. Ita Glossa fin. in Clement. *Si plures*. h. t. Abbas in c. *Quia nonnulli*. n. 4. de *Cleric. non resident*. et c. *De multa*, n. 10. h. t. hanc conclusionem probans ex Extrav. *Execrabilis*. Joann. XXII. h. t. ubi pontifex, § *Qui vero deinceps*, decrevit, quod recipiens secundam dignitatem, personatum, seu officium (intellige, perpetuum, juxta dicta superius n. 292.) aut aliud beneficium curam animarum habens annexam, teneatur prius beneficium (utpote, quo privatus est ipso jure) absque moræ dispendio in manibus ordinariorum dimittere: et si id non fecerit, ex tunc sit ipso jure etiam secundo privatus; simulque efficiatur inhabilis ad beneficia, et ordines: prout liquet ex verbis ejusdem Extravagantis, supra n. 284. relatis. Verum quia citata Extravag. *Execrabilis*. non loquitur generaliter de quibuscumque beneficiis incompatilibus, sed solummodo de dignitatibus, personatibus officiis, atque beneficiis curatis.

317. *Idque probatur multipliciter.* — Hinc eadem conclusionem pro moderno tempore, ac generaliter loquentem, tenet Garcias, part. XI de *Benefic.* c. 5. n. 94. et 95. et n. 381. allegans declarationem sacræ con-

gregationis concilii. Barbosa, part. III. de *Offic. et potest. episc.* allegat. 54. num. 30. et allegat. 62, numer. 29; Fagnanus cit. c. *De multa*. numer. 7 et 8. et c. *Super inordinata*. n. 9. h. t. istud præter allegatam Extravag. *Execrabilis*, Joann. XXII. probans ex concilio Tridentino sess. 7. cap. iv. de *Reform.* ac supra n. 285. jam relato, ponderando verba illa: « Recipere, ac simul retinere præsumperit, beneficiis ipsis, ipso jure, etiam præsentis canonis vigore, privatus existat. » Nam locutio illa in plurali, « Beneficiis ipsis, » utrumque beneficium simul retentum complectitur; sicque vacationem utriusque ipso jure inductam, clare demonstrat.

§ XI.

DE REQUISITIS AD VACATIONEM IPSO JURE BENEFICIORUM INCOMPATIBILIIUM, URUMQUE DIMISSIONE, ET COLLATIONE.

318. *Ad inducendam ipso jure vacationem prioris beneficii incompatibilis, non sufficit sola assecuratio de consequendo alio, neque hujus collatio: sed requiritur vera hujus assecutio, atque possessio.* — Queritur I. Utrum facta assecuratione, vel saltem collatione secundi incompatibilis, illico vacet ipso jure præhabitu beneficium; vel quæ alia ad hoc requirantur? Rep. I. Ad inducendam ipso jure vacationem prioris beneficii incompatibilis non sufficit sola assecuratio de consequendo altero beneficio: neque etiam sola hujus collatio, et acceptatio: sed ulterius requiritur istius posterioris vera assecutio, atque possessio pacifica. Ita Glossa c. *De multa*. §. *Post receptionem*, et Abbas ibid. n. 16. et Fagnanus n. 9. et Barbosa n. 8 h. t.; Flamin. Parisius de *Resignat. Benefic.* lib. III. cap. I. n. 129. allegans Rotam in una Florent. canonicatus et Præbendæ, coram card. S. Crucis, die 11 martii 1558. et in una Panormitan. beneficiorum, coram D. Fabio Accorambona. 9. januar. 1548; card. de Luca de *Beneficiis*, discours. 56. n. 5: Garcias part. XI. de *Benefic.* cap. v. n. 100. et seqq. citans plures alios. Accedit ratio, tum quia illud importat verbum, *Recipere*, contentum in concilio Tridentino sess. 7. cap. iv. de *Reform.* ac verbum illud, *Post receptionem alterius*, videlicet corporalem, positum in d. c. *De multa*; ac notat Glossa ibid. istud probans ex can. *Si quis jam translatus*. 21. q. 2. Con-

cordat textus, et Glossa in can. *Si quis episcopi*. dist. 92. §. *Ubi prior*. illis verbis: « Si habuerit corporalem possessionem per se, vel per alium ejus Ecclesiæ; » tum quia in jure « verba accipienda sunt cum effectu, » ut dicitur c. *Relatum*. 4. de *Cleric. non resident*. junctis concordantiis per Glossam ibid. §. *Cum effectu*, allegatis: sicque sola assecuratio de consequendo posteriori beneficio incompatibili, non sufficit ad inducendam ipso jure vacationem prioris, nisi secutus fuerit etiam effectus corporalis possessionis, et quidem pacificæ.

319. *Et quidem possessio pacifica.* — Additur notanter, « pacificæ. » Nam, ut vacet prius Beneficium post collationem, atque receptionem alterius incompatibilis, requiritur, ut provisus « hujus possessionem pacificam habuerit, vel per eum steterit, quominus haberet eandem, » juxta textum notabilem in c. *Licet Episcopus*. 28. h. t. in 6. Quidquid olim in contrarium tenuerit Innocentius c. *De multa*. n. 2. et 4. h. t. Nam ejus opinio hodie correctæ est, per cit. c. *Licet episcopus*. eod. in 6. ac notat Fagnanus in d. c. *De multa*. n. 10. h. t. Idque merito quia incertus est litis eventus, l. *Quod debetur*. ff. de *Peculio*; neque tenetur quis se exponere periculo ut careat utroque beneficio, dimittendo videlicet prius ante obtentam pacificam possessionem posterioris.

320. *Possessio pacifica posterioris beneficii, quando censeatur acquisita? Quæ in continenti fiunt inesse videntur.* — Cæterum « Possessio pacifica » posterioris beneficii censetur acquisita, quando ea non est litigiosa; sed absque controversia juris vel facti, judiciali et extrajudiciali, obtinetur. Garcias, d. part. XI. cap. v. num. 105. citans plurimos alios. Sive, ut alii loquuntur, talis « Possessio pacifica » habetur, quando quis beneficii possessionem nactus, in ista in continenti non turbatur: hoc est nullam patitur juris, vel facti controversiam. Et additur primo, « vel facti: » quia ad tollendam pacificam possessionem sufficiunt extrajudiciales molestiæ. Card. de Luca cit. discours. 56. de *Benefic.* n. 5. allegans decis. 1254 Rotæ, apud Seraphinum. Additur ulterius, « in continenti: » nam secus, si vel in ipsamet apprehensione secundi beneficii lis sibi moveatur, l. *Si post perfectam*. c. de *Evictionib.* vel saltem in continenti post, arbitrio boni viri, arg. c. *Officii*. 38. de *Election*. Glossa c. *Commissa*. §. *Pacificam*. de *Election*. in 6. Flamin.

Parisius, lib. III. de *Resignat. benefic.* cap. I. n. 131. et alii. Siquidem, quæ continenti fiunt, inesse videntur, l. *Lecta est*. ff. de *Rebus creditis*, *Si certum petatur*. Unde possessio non censetur pacifica fuisse, quæ non duravit, c. *Nam et ego*. de *Verb. signif.* junctis concordantiis a Glossa fin. ibid. adductis. Si autem possessio pacifica semel acquisita fuit, non desinit esse talis, licet ex post facto (puta, post mensem, aut duos menses, vel post libere administratam aliquandiu curam animarum) desuper, controversia moveatur. Glossa cit. c. *Commissa*. §. *Pacificam*. de *Election*. in 6. estque jam dictum supra lib. II. tit. XII. *De causa possessionis*, etc. § 1. n. 23.

321. *Prius beneficium non vacat per receptionem secundi, quando fructus istius ex causa alius percipit.* — Resp. II. Insuper non censetur prius beneficium ipso jure vacare per receptionem secundi incompatibilis, quando fructus istius ex causa etiam alius percipit. Ita Abbas c. *De multa*. n. 16. h. t. estque clare decisum c. *Si tibi concessio*. 26. h. t. in 6. ac notant Glossa, Ancharanus, Vivianus, Barbosa, ibid. et communis. Accedit ratio, quia talis nondum adeptus est plene, atque effectualiter secundum beneficium. Licet enim istud jam obtinuerit, atque pacifice possideat, fructus tamen ejus non habet; sicque cum effectu nondum censetur id recepisse, ac proinde redeunt dicta n. 318. Confirmatur id ipsum, quia alioquin sequeretur, quod talis cogeretur mendicare; cum fructus ex secundo beneficio non haberet, primo autem privatus existeret: quod utique foret absurdum.

322. *Secus, si per provisum steterit, quominus possessionem, aut fructus ejusdem habeat.* — Additur notanter, « ex causa alius percipit » puta, quia Papa concessit episcopo, ut fructus beneficiorum proxime vacaturorum, ad certum tempus pro solvendis debitis percipere valeat; prout est casus in c. *Si propter*. 10. de *Rescript.* in 6. et cit. c. *Si tibi concessio*. h. t. in 6. Nam secus dicendum, si per provisum steterit, quominus possessionem, aut fructus secundi beneficii habeat: hæc enim limitatio expresse habetur in c. *Licet episcopus*. 28. h. t. in 6. et c. *Commissa*. 35. § 1. de *Election*. in 6. ubi possessio pacifica beneficii adepta, et mora eam petendi, æquiparantur, illis verbis: « Possessionem ejus pacificam habuisti, vel per te stetit, quominus haberes eandem. » Simile quid habe-

tui in Extrav. *Execrabilis*. Joan. XXII. § *Qui vero deinceps*. h. t. Idque salubriter statutum fuit ad præcavendum fraudibus nonnullorum, sub hoc prætextu plura beneficia occupantium: nam fraus, et dolus, alicui patrocinari non debent, c. *Ex tenore*. 16. de *Rescript.* et alii.

323. *Beneficia prius habita, quando vacent per promotionem ad episcopatum?* — Resp. III. Limitatur quoque data n. 318. Conclusio quoad alteram partem in episcopatibus. Si quidem beneficia ecclesiastica prius habita non vacant per solam promotionem ad episcopatum, atque obtentam ejus pacificam possessionem: sed primum post secutam consecrationem, aut saltem, postquam elapsus est tempus ad obtinendam consecrationem a sacris canonibus præfixum; quod cessante inevitabili necessitate, est spatium trium mensium post confirmationem numerandorum, can. 2. dist. 75. et can. *Quoniam*. dist. 100. juncto concilio Tridentino sess. 7. cap. ix. et sess. 23. cap. ii. de *Reform.* Conclusio hæc, seu præmissorum limitatio, habetur clare ex c. *Cum in cunctis*. § *Cum vero de Election.* et notat ibi Glossa *¶ Tempore*. Abbas, n. 3. et Barbosa, ibid. n. 29. et part. III. de *Offic. et potest. episc.* allegat. 57. n. 67. cum pluribus aliis, quos allegat.

324. *Et quid dicendum spectato stylo curiæ?* — Atque istud procedit spectato jure communi. Siquidem in provisio de episcopatu per summum Pontificem, istud de stylo curiæ non servatur; ut inquit Barbosa, cit. c. *Cum in cunctis*. n. 29. de *Election.* et Flamin. Parisius, lib. III. de *Resignat. benefic.* cap. i. n. 77. et 78 cum aliis, quos citat. Idque solet accidere ex eo; quia Papa in promotione ad episcopatum consistorialiter facta, consuevit decernere, beneficia præhabita vacare eo ipso a die promotionis. Rota Caputaquens. Abbatia. 16. maii 1620, coram Dunogetto. Alias vero, ubi non adest expressum Decretum vacationis præhabitorum beneficiorum, standum erit juri communi. Barbosa, cit. n. 29. allegans Rotam coram card. Seraphino, decis. 100. et Garcias, part. XI. de *Beneficiis*, cap. vi. n. 9, citans aliam Rotam in una Pharens. Pensionis. coram SS. Clemente VIII. quæ est 1. part. *Divers.* decis. 233. Quod ipsum, quidem a fortiori, ac juxta formam rescripti pontificii, intelligendum est, quando promotus ad episcopatum a Papa obtinuit prorogationem, vel retentionem præhabitorum beneficiorum: de quo

plura Barbosa, part. III. de *Offic. et potest. episc.* allegat. 57. n. 69. et 70.

325. *Ac loquendo de episcopis titularibus.* — Verum tamen proxime dicta non procedunt in episcopis titularibus, seu promotis ad episcopatus in terris Infidelium existentes. Nam hoc ipso, quod tales non acquisierint pacificam suorum episcopatum professionem, fructusque ipsorum, nec per eos stet istos acquirere: non censentur vacare præhabita ipsorum beneficia. Navarrus, consil. 14. n. 3. de *Election.* Garcias, part. XI. de *Benefic.* cap. vi. n. 24. Barbosa, d. allegat. 57. n. 74. cum aliis, quos citant.

326. *Post assecutionem pacificam secundi beneficii incompatibilis, dimissio prioris debet fieri statim, et in continenti.* — Quæritur II. Quomodo post assecutionem posterioris beneficii incompatibilis, sit dimittendum prius beneficium? Resp. I. Post receptum secundum beneficium incompatibile, et acquisitam hujus pacificam possessionem una cum perceptione fructuum, ut supra, dimissio prioris beneficii ecclesiastici debet fieri statim, et in continenti. Ita Abbas c. *De multa*. n. 10. h. t. et c. *Quia nonnulli*. n. 4. de *Cleric. non resident.*; Pirhing, h. t. n. 55; Garcias, part. XI. de *Benefic.* cap. v. n. 36. et seqq. allegans alios. Ratio est, quia tunc ipso jure jam vacat prius beneficium; ac proinde, nisi istud statim et in continenti dimitteretur, inciperet quis retinere alienum: quod est illicitum, ac injustum.

327. *Intelligendo ly Statim et in continenti, cum aliquo temperamento.* — Notant tamen memorati auctores, et alii, quod prædictum ly, « statim, et in continenti, » sit intelligendum cum aliquo temperamento, seu temporis spatio: donec nimirum certo constet, haberi pacificam, simulque frugiferam posterioris beneficii possessionem, juxta arbitrium boni viri, arg. l. *Ratum*. et l. *Quod dicimus*. ff. de *Solutionib.*

328. *Refertur, ac rejicitur sententia, concedens mensem pro dimissione prioris beneficii incompatibilis.* — Fatendum quidem est, quod Hoieda cit. part. II. de *Incompatibilit. benefic.* cap. ix. n. 6. in fin.; Zerola, part. I. *Praxis episcop.* *¶ Beneficia*. § *Ad tertium*. circa fin. et nonnulli alii, quos citat Garcias, ubi supra, n. 25, satis esse asserant, si intra mensem a tempore assecutionis secundi beneficii incompatibilis realiter, et cum effectu dimittatur prius, arg. cit. Extravag. *Execrabilis*. Joan. XXII. h. t. Verum tamen hæc sententia

non caret difficultate: nam in cit. Extravag. *Statumus*. conceditur mensis solummodo ad eligendum unum ex pluribus beneficiis, quæ tunc per legitimam dispensationem a quibusdam obtinebantur. At vero in posteriori. § *Si vero deinceps*. ubi agitur de prohibita pluralitate beneficiorum in posterum obtinendorum, non amplius conceditur mensis pro dimissione prioris post receptum secundum beneficium incompatible, sed expresse præcipitur, ut post pacificam possessionem alterius (aut si per beneficiarium stetit, quominus istam habeat) prius beneficium absque moræ dispendio in ordinariis manibus dimittatur pari modo. Nec obstat istud appositum ly, « pari modo. » Hoc enim nequit denotare concessionem mensis pro facienda dimissione prioris beneficii (nam istud repugnet præcedentibus verbis, « absque moræ dispendio ») sed duntaxat vult beneficium præhabita esse dimittendum in manibus ordinarii « pari modo, id est, verbo et vacto, et sine fraude, cum effectu, et sub testimonio publico, ut supra ibidem statuebatur: simulque, ut id fiat non expectata sententia privata facti, vel litis contestatione, prout exprimit Glossa ibid. Alioquin vero ex tunc ipso jure indicatur privatio secundi beneficii, una cum inhabilitate ad sacros ordines suscipiendos, et habendum quodcumque beneficium ecclesiasticum.

329. *Dimissio illa prioris beneficii, respicit solum factum.* — Resp. II. Ejusmodi dimissio prioris beneficii, utpote vacantis ipso jure post assecutionem alterius incompatibilis, respicit solum factum. Ita Glossa in d. Extravag. *Execrabilis*. Joan. XXII. *¶ Dimittere*; et in re communis. Siquidem clericus jure, in tali beneficio sibi quondam competente, jam est privatus ipso facto per receptionem alterius incompatibilis: ac proinde jus illud amplius dimittere non potest, et si beneficium præhabita dimittere valeat quoad factum, videlicet, istud « coram ordinario, sub testimonio publico, verbaliter, et realiter cum effectu dimittendo, » sicut relinquendo possessionem ipsius, et abstinendo penitus a perceptione obventionum ejusdem: prout habetur cit. Extravag. *Execrabilis*. juncta Glossa. *Sub testimonio*. et seqq. ibid. Quanquam ex recepta, et approbata consuetudine, sufficiat sola realis et cum effectu, ac sine fraude facta prioris beneficii dimissio, etsi hæc non fiat coram ordinario, sub publico testimonio, ac verbaliter. Zerola, ubi supra. Garcias cit.

part. XI. cap. v. n. 46. Pirhing, h. t. n. 154. et alii.

330. *Debetque fieri pure, ac simpliciter: non vero ex causa permutationis, neque in favorem tertii, etc.* — Resp. III. Prius beneficium adepti altero incompatible debet pure, ac simpliciter dimitti: adeoque non potest resignari ex causa permutationis, v. g. cum alio simplici; neque in favorem tertii (nisi cum expressione hujus circumstantiæ, seu vacationis ipso jure, coram summo Pontifice) neque cum reservatione pensionis, aut hujusmodi. Ita Rebuffus in *Praxi benefic. tit. de Dispensatione ratione ætatis*. *¶ Quoad vixeris*. n. 8. et 9. citans multiplicem Rotam; Hoieda, ubi supra, part. III. cap. iv. n. 41. et cap. XIII. n. 62; Flamin. Parisius, lib. III. de *Resignat. benefic.* cap. i. n. 50. et seqq.; Garcias, d. cap. v. n. 58. asserens, ita fuisse resolutum in una Illerden. portionis. ann. 1593, coram Illust. D. Phamphilio; Pirhing, h. t. n. 154. et alii.

331. *Et ratio istius.* — Accedit ratio, quia, qui nullum jus habet in beneficio, non potest illud resignare, aut permutare: atqui clericus post adeptam pacificam possessionem secundi incompatibilis, nullum jus habet in priori beneficio, utpote quod ipso jure vacat, juxta hætenus dicta; ergo. Majora tradit Flamin. Parisius cit. cap. i. n. 51. et 79. et 80, citans plurimos alios, et communem. Et ratio clara est: quia « nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur, » prout loquitur reg. 79. jor. in 6. cum concordantibus: ergo cum beneficio privatus ipso jure, nullum amplius in eo jus habeat, hoc ipso tale jus per resignationem, aut permutationem amplius transferre non potest.

332. *In casu recepti pacifice secundi beneficii incompatibilis, collator prioris libere istud potest, ac debet conferre intra sex menses, etc.* — Quæritur III. Qualiter, et sub qua obligatione, conferendum sit beneficium vacans ob assecutionem alterius incompatibilis? Resp. I. In casu recepti pacifice secundi beneficii incompatibilis, collator prioris libere potest, simulque debet istud conferre intra sex menses: alioquin ipse punitur. Ita textus expressus in c. *De multa*. 28. h. t. illis verbis: « Is quoque, ad quem prioris spectat donatio, illud post receptionem alterius libere conferat, cui merito viderit conferendum: et si ultra sex menses conferre distulerit, non solum ad alios secundum Lateranensis con-

illi statutum ejus collatio devolvatur, verum et tantum de suis cogatur proventibus in utilitatem ecclesie, cujus est illud beneficium, assignare : quantum a tempore vacationis ipsius constiterit esse perceptum. » Hæc ibi : atque amplius declarant Glossa, Jo. Andreas, Abbas, Fagnatus, Barbosa in *Collectan.* ibid. aliique passim.

383. *Verbum Libere conferat, quid importet?* — Dicitur imprimis, « libere conferat, » tum quia collator ordinarius potest ejusmodi beneficium, utpote post pacificam adeptionem alterius ipso jure vacans, conferre libere; hoc est, sine requisitione alterius : adeo, ut non tenentur vocare passionem, aut ipsum præmonere, seu citare; neque etiam cogatur expectare licentiam episcopi. Hoc enim importat dictio, *libere* : quia non esset libertas, si alium deberet requirere. Abbas cit. c. *De multa.* n. 3. et Fagnanus ibid. n. 15. et Barbosa. n. 9, h. t. cum communi; tum quia collator intra sex menses, a die habitæ notitiæ, quod clericus obtinuerit pacificam alternus incompatibilis beneficii possessionem, computandos, non solum potest, sed etiam tenetur illud, utpote ipso jure vacans, alteri conferre; prout donatur per ly, « conferat, » quod importat præceptum : juncta duplici pœna illico apposita, si illud intra memoratum tempus conferre prætermittat. Unde.

334. *Collator ejusmodi, si conferre distulerit, incurrit, duplicet pœnam, et quam?* — Dicitur ulterius, « et si conferre distulerit, » etc. Quibus verbis signatur duplex pœna, quam collator beneficii, v. g. episcopus, negligens conferre beneficium per assecutionem alterius ipso jure vacans, incurrit. Prima est, ut jus conferendidevolvatur ad alios : nempe gradatim ad proximum superiorem, vel ab episcopo ad capitulum, juxta constitutionem concilii Lateranensis, sub Alexandro III. celebrati, quæ refertur in c. *Nulla.* 2. de *Concession. de Præbend.* estque amplius dictum supra. § 6. n. 161. et seqq.

335. Altera pœna est, quod ejusmodi negligens collator tantum de suis proventibus cogatur in utilitatem ecclesie, cujus est beneficium non collatum, assignare, quantum a tempore vacationis ex fructibus ipsius constiterit esse perceptum : prout liquet ex allegato testu cit. c. *De multa.* h. t. Idque merito : quia « delictum personæ non debet in detrimentum ecclesie redundare, » uti loquitur reg. 74. jur. in 6. juncto can. *Si episcopus.*

copum. 16. q. 6. Unde collator, v. g. episcopus, ex propriis proventibus cogitur refundere ecclesie, quantum ex fructibus ejus tempore vacationis, perceptum fuisse, constiterit : nempe, « constiterit, » facta fide coram judice per juramentum rectoris ecclesie, vel syndici, ipsius præmissa taxatione, juxta cap. ult. *De iis, quæ vi metusve causa,* n. 11. et Fagnanus ibid. n. 19. h. t. allegans etc. ac notat Joan. Andreas in cit. c. *De multa* alios. Et si collator proprios proventus non habeat, puniendus est alia pœna ad arbitrium judicis. Glossa cit. c. *De multa.* §. *Proventibus.* Joan. Andreas, Fagnanus, ubi supra, et alii. Qui addunt, istud fuerit non solum propter negligentiam, sed etiam propter delictum collatoris : quia differendo collationem, præsumitur favere detentori beneficii jam vacantis ipso jure, atque vitium ejus palliare; sicque hac altera pœna punitur.

336. *Licet tunc prius beneficium libere conferri possit, non tamen in hujus possessionem potest inudci is, cui collatum est, priore possessore irrequisito.* — Resp. II. Quamvis posteriori beneficio pacifice, atque effectualiter adepti, prius incompatibiliter libere conferri possit, ut dictum : non tamen in hujus possessionem potest episcopus inducere eum, cui collatum est, priore possessore irrequisito, seu non vocato. Ita communis omnium; estque clare decisum in c. *licet Episcopus.* 28. h. t. in 6. Illis verbis : « Licet episcopus beneficium, quod cum animarum cura tenebas (postquam aliud recepisti consimile, ac ipsius possessionem pacificam habuisti, vel per te stetit, quominus haberes eandem) possit alteri de jure conferre : illum tamen, cui contulerit, non debet te non vocato (cum tibi forsitan jus possit competere retinendi) in possessionem ipsius inducere corporalem. » Ita Pontifex, rescribens pro declaratione, c. *De multa* 28. h. t. cuiuspiam super hoc eum consulenti.

337. *Et hujus ratio.* — Accedit ratio. Quia potest contingere, ut assecutus secundum beneficium; de se incompatible cum priori adhuc possit prius retinere; ut puta, quia secum legitime fuit dispensatum; vel quia ex causa justa nondum percipit fructus secundi beneficii, aut hujusmodi; prout innuit textus allegatus, juncta Glossa. fin. et doctores. ibid. Quinimo generale est, quod nemo inauditus, ac sine causæ cognitione, privandus sit sua possessione, can. *Quia res.* 11. q. 1. Et si cui vis, vel clam spoliatur

sua possessione, plura extant remedia recuperandæ possessionis in jure prodita : de quibus ex professo actum fuit supra, lib. II. tit. XIII. de *Restitutione spoliatorum,* § 2. n. 25. et seqq. Adeo, ut etiam prædo, si spoliatur rebus a se possessis, secundum rigorem juris sit restituendus, c. *In litteris.* 5. de *Restitut. spoliat.*

338. *Privatio, seu vacatio ipso jure, prioris beneficii per pacificam receptionem alterius incompatibilis, est intelligenda quoad titulum, non quoad possessionem.* — Dices. Vacatio beneficii ipso jure inducta fuit per receptionem, atque pacificam possessionem alterius incompatibilis; ergo nihil obstare videtur, quominus is, cui libere illud collatum est, etiam libere in ejus possessionem inducatur : nam, ut ex physicis patet, forma (sive jus ad beneficium) ejusque privatio, simul consistere nequeunt. Resp. neg. consequent. cum sua probatione. Nam privatio, seu potius vacatio illa prioris beneficii propter incompatibilitatem alterius, intelligenda est duntaxat quoad titulum, seu jus retinendi beneficium; non vero quoad possessionem : hac enim clericus possessor privari non potest, nisi eo citato, et causa cognita, atque intellecto, quod nullum jus retinendi possessionem beneficii amplius sibi competat, ut dictum. Hoc ipsum patet ex c. *Cum nostris.* 6. de *Concession. Præbend.* ubi præpositura de jure vacans propter adeptum episcopatum, censetur non vacasse de facto, eo quod possideretur adhuc ab episcopo : unde mandavit pontifex, ut vel ostenderet episcopus justam causam retentæ præposituræ, ac possessionis ipsius; vel ad resignationem hujus compelleretur.

339. *In praxi quid agendum illi, cui prius beneficium ipso jure vacans collatum fuit?* — Resp. III. Quantum ad praxim attinet, ille, cui prius beneficium, per pacificam alterius beneficii adeptionem ipso jure vacans a collatore ordinario collatum fuit, adeat episcopum, sive ordinarium loci : atque exhibito factæ sibi collationis legitimo testimonio coram ipso agat, instetque, ut sibi possessio ejusdem beneficii realiter, et cum effectu tradatur : quo facto in causa summariter procedendum est, citato tamen, et audito priore possessore. Ita desumitur ex cit. c. *Licet episcopus.* ac notat Vivianus in *Rational.* ibid. § fin. h. t. in 6. cum aliis. Concordat. c. *Tum ex litteris.* 5. de *in integrum restitut.* ubi in simili casu Papam sic processisse, legitur.

340. *Hactenus dicta procedunt etiam in aliis casibus, in quibus beneficium præhabitu ipso jure vacat.* — Et quæ hactenus dicta sunt de collatione prioris beneficii, per pacificam adeptam possessionem alterius incompatibilis ipso jure vacantis, non sunt quid speciale, seu in casu sæpe dicti c. *De multa* h. t. ex indulgentia illius decretalis duntaxat concessum : sed procedunt generaliter in aliis etiam casibus, in quibus beneficium præhabitu ipso jure vacat. Innocentius in cit. c. *De multa.* n. 3. vers. *Nos quantum ad hoc.* et Fagnanus, ibid., n. 16. Quod ultimum ut melius intelligatur sit.

§ XII.

DE VARIIS MODIS, QUIBUS BENEFICIA IPSO JURE VACARE DIGNOSCUNTUR : UBI ET DE VACATIONE IPSORUM PER SENTENTIAM.

341. *Beneficia ecclesiastica, quibus modis generatim vacare dignoscantur?* Quæritur I. Quibus modis generatim beneficia ecclesiastica ipso jure vacare dignoscantur? Resp. Pluribus modis id accidere : prout videre est apud Nicol. Garciam, part. II. de *Beneficiis,* a cap. II. usque ad cap. X. Fœssissime de hoc disserentem. Concordat Barbosa, part. III. de *Offic. et potest. episc.* allegat. 57. n. 199. et seqq. quadraginta tales vacationum modos enumerans. Rebuffus in *Praxi benefic.* tit. *De modis amittendi beneficia.* Gonzalez ad Reg. 8. *Cancell.* gloss. 15, a n. 3, usque ad n. 133, per ordinem recensens quinquaginta duos modos, quibus beneficia ecclesiastica ipso jure vacant : et alii.

342. *Nullus casus, nullumque crimen inducit privationem beneficii ipso jure, nisi istud reperitur jure expressum. In pœnis benignior est interpretatio facienda.* — Solummodo nota pro regula, quod nullus casus, nullumque crimen, etiam privatione beneficii dignum, inducat privationem hujus ipso jure, nisi istud reperitur jure expressum. Nam pœna tam gravis asserenda non est absque jure claro. « Siquidem interpretatione legum pœnæ molliendæ sunt potius, quam exasperandæ, ut dicitur l. 42. ff. de *Pœnis* : » ac proinde in dubio præsumitur quis per sententiam beneficio privandus, non autem ipso jure privatus; cum odia sint restringenda, atque in pœnis benignior sit interpretatio facienda, juxta reg. 15. et 49. Juris in 6; Gonzalez, ubi supra, n. 153; Garcias, part. II. cap. X. n. 5.